

quod quidem ita esse demonstrabimus, cum de ordine cælorum disputa-
bimus. Quare cum omne corpus continens maius sit corpore contento,
recte subiungit auctor, spherarum cælestium quasdam esse maiores, &
quasdam minores; secundum quod plus accedunt, vel recedunt a fir-
mamento. Erit enim hac ratione sphaera nona omnium maxima; Dein-
de firmamentum maius erit sphaera Saturni, quæ statim subsequitur, &
sic deinceps, donec ad spheram Lune, quæ infima est, deueniamus;
Hæc namq; omnium spherarum minima est.

DICITUR nona sphaera ab auctore, & alijs Astronomis primus
motus; seu primum mobile, quoniam; ut suo loco dicemus, suo motu
velocissimo omnes alias inferiores sphas, quas ambit, secum rapit
ab oru in occasum spacio viginti quatuor horarum. Quamuis autem
nonam spheram, quam auctor hic putat esse supremam, ac primum
mobile, sine discrimine possimus dicere & primam spheram, & nonam,
siue ultimam; Primam quidem ordine nature, quia propior est primo
enti, qua ratione sphaera Lune ultima existit, cum a primo ente sit re-
motissima; Nonam vero ultimam, quoad nos, quia videlicet remo-
tior a nobis existit, quo pacto Lune sphaera, quoniam nobis est propin-
quior, dicitur esse prima: Non tamen ab Astronomis dici consuevit
ultimus motus, seu ultimum mobile, sed solum primus motus, vel pri-
mum mobile, ob dignitatem, & præstantiam, quam habet circumfer-
rendo sphas inferiores secum suo motu proprio; qua in re primatum
habere videtur.

APPELLAT quoq; auctor cum Astronomis spheram, quæ est
octaua quo ad nos, Firmamentum, & spheram stellarum fixarum.
Firmamentum quidem, quia sicut munimentum, vallum, aut mania in
extremis partibus posita cingunt, muniunt, ac firmant civitatem: sic
etiam octaua sphaera, quæ Firmamentum nuncupatur, & quam antiqui-
tas omnis supremum, ac extremum cælum putauit, firmat, continet,
ambit, & quasi munit non solum reliquas sphas inferiores omnes;
Verum etiam omnia, quæcumq; in mundo vniuerso existunt: Vel etiam
dicitur Firmamentum, quoniam videlicet continet stellas firmius he-
rentes, ut mox dicitur. At vero spheram stellarum fixarum nominat,
quia desert, circumuehit, & continet omnes stellas fixas; Quæ quide
stellæ non ideo fixæ dicuntur, quod non moueantur aut quod fixæ prorsus
permaneant; Hoc enim falsum est, cum experientia comperit sit ela-
rissime,